

Q.N. 248. 17.

Zb
6912

ORATIO FUNEBRIS
In honorem ac memoriam

*Viri Nobilis, Amplissimi, Consultissimi atq;
Clarissimi*

DN. OSWALDI
HILLIGERI, ICTI CE-
LEBERRIMI, UNIVERSITATIS SA-
LANÆ ANTECESSORIS ET DICASTERII IBI-
DEM ADSESSORIS MERITISSIMI,

*Publicè in Amplissimo & frequentissimo Auditorum
confessu habita*

A
M. JOHANNÉ JACOBO AGRICOLA
LIPSIENSE.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAULE)



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno, M, DC, XIX,



ORATIO FUNEBRIS

IN HONOREM CHRISTOPHORI

MR. WOLFF, M.D. & C. 1717

DM. OSWALDI

HILFICERLICHE

LEBENS-UNIVERSITÄTIS SA-

LANE ANTECESSORIS ET DISCEPULI

DE ANTECESSORIS HONORIBUS

Publicum in honorem Christophori
Wolff, M.D. & C. 1717

M. JOHANNES JACOBO NICOLAI

APRILIS



LEIPZIG

THEATRO STEPHANO

ANNO DOMINI 1717





PRO-DECANUS COLLEGII PHI-
LOSOPHICI IN ACADEMIA
JENENSI

WOLFGAN-
GUS HEIDER M.

L. S. P.



Onos viros, qui
commune sunt bonum, vivos
approbari velle, & mortuos laudari debere,
Pescennius Niger dixisse fertur, & rectè qui-
dem dixisse. Et hoc quidem honoris virtu-
ti & bene-meritis deferendum, primò quidem memoriae gra-
titudinis causa, tum verò imitationis honestissimæ gratiâ:
cum vix dici possit, quantoperè animi posterorum generosi,
qui non humi repere, sed evolare sursum cupiunt, majorum
exemplis cum Scipione ad virtutis incitentur studium, ad præ-
claras actiones inflammentur, ad omne laborum & periculo-
rum genus rapiantur. Memoriam verò magnorum virorum
celebrari, & omnem ad posteritatem transmitti statuis, pictu-
ris, & sepulchrorum instructionibus, ac Mausolæis decorum,
quidem est, & magnificum sed literarum consecrari monu-
mentis longè præclarius cordatos apud viros, cum nullis &
temporum; & locorum terminis contineatur hæc gloria, nul-
lis metis circumscribatur. Neq; verò nupera & nova memo-
riæ literariæ est consuetudo, sed illarum è rerum numero, qui-
bus de verissimè prædicare possis illud Poëtæ: moribus anti-
quis res stat Romana virisque. David ille virorum, qui factus,

PROGRAMMA FUNEBRE.

& fictus erat ad divinæ voluntatis effigiem, & flebilibus modis
deploravit Saulis & Jonathæ in teritum, & egregia facinora
verissimis laudibus ad usq; cœlum extulit. Et Josias Rex ille
Regum mitissimus, & certè; uti quidem nobis videtur, & æta-
te longiore, & diuturniore Imperio, & meliore fortunâ di-
gnus, cum oppetiisset, quis tum fuit, qui non nœnias exequia-
les scriberet, non lessus decantaret, non integraret querelas,
non lacrymas suas optimi Regis cineribus æternâ cum ejus
laude misceret. Idem Athenis fieri solitum, idem Romæ;
idem omnes apud omnes nationes humaniores, quas inter
λόγοι ἐπικηδοὶ & ἐπιτάφιοι reliquis in Encomiis. facile principem
locum obtinuerunt. Laudem itaq; meretur & omnium bo-
norum ἐπισημασίαν *Ornatissimus Juvenis* Dn. M. JOHANNES JA-
COBUS AGRICOLA *Lipsiensis LL. Stud.* qui supremum pie-
tatis officium exhibiturus *Amplissimo & Excellentissimo Viro*
Dn. OSWALDO HILLIGERO, *quondam J. U. D.,*
*hac in Academiâ Professori publico, & Dicasterii Assessori dignif-
simo,* ejus in memoriam & honorem scripsit Orationem fune-
brem, quâ defuncti laudes, & laudes quidem ab omni assenta-
tione alienissimas complexus est. Scimus enim qualis &
quantus fuerit hic Collega noster in primo virilis ætatis limi-
ne, & animis percipere haud difficile fuit, quam uberrimæ se-
getis messem, si maturescere licuisset, expectare potuerimus.
Sed ferenda *ἡ μόρσιμος*, neq; Viro optimo, sempiterna quies in-
videnda. Oratio parentalis, quam diximus, die crastino hora
IX. matutinâ recitabitur, quam ad Panegyryn ut omnes Aca-
demiæ nostræ cives summi, medi, & infimi, frequentes con-
fluant, & rogamus officiosè, & hortamur amicè. Neq; dubi-
tamus, quin hoc honoris defuncto habituri sint omnes, qui
bonos amant viros, qui virtutem & eruditionem venerantur,
qui gloriæ posthumæ sunt appetentes, qui præter honestam
nominis memoriam hac in vitâ vanitatem vanitatum
omnia esse ducunt. P. P. 25. Aprilis.

1619.

CRA-



ORATIO EXE- QUIALIS.



Duo sunt insignia
rei literariæ munimenta (Au-
ditores) unum virorum doctorum scientia, & do-
cendi solertia; alterum studiosæ juventutis
industria & discendi cupiditas: utrumque
arctissimo vinculo copulatum; ut sine Doctorum gloria dis-
centium defervescat flagrantia, & sine discantium ardore Do-
ctorum frigescat scientia. Hæc enim ejusmodi sunt, quæ vi-
gentem Reipub. literariæ statum exornant; conservantque:
languentem labantemq; à ruina & interitu vindicant: quas-
sata & collapsam erigunt atq; restaurant. Quare si quid
est quod felicem florentemque Universitatem prosternit: ni-
tentem omni cultu & ornatu exuit, melioresq; omnes luctu ac
mœrore opprimit: hoc sanè inter alia longè maximum est atq;
gravissimum; si Antecessores Academiarum celeberrimi, & de
scientiarum disciplinis meritissimi, præmaturè, cheu! in per-
niciem florentissimæ juventutis concidunt & rapiuntur. Equi-
dem ut à Solis splendore tota hæc mundi machina nitet & illu-
stratur, à calore fovetur & conservatur: sic à doctrina & eru-
ditione Virorum doctorum tota rei literariæ facies resplendet,
& discantium animi ceu radiis ab horum industria coruscant
& illuminantur. Scilicet ut navis gubernatore excusso à turbu-
lenti fluctibus huc illuc jactatur ac procellis sævientibus obji-
citur, adeò ut certum tenere cursum ignoret: similes omninò
Directores sunt bonarum literarum, quos si expuleris, omnis
recta informandi perit ratio: omnes bonæ artes exulant: &
omnis studiorum cursus retardatur ac præcluditur. Hi enim



O R A T I O

ceu cōr in ipso homine : ita in illustribus Lycæis censerī de-
 bent, unde vim ac vitam universum corpus haurit ac recipit.
 Hi quippe publici ingeniorum & morum formatores, qui; si
 boni & discipuli boni, in quos scientiæ suæ radios structurās-
 vé transfundunt. Hi moderatores & velut ductores, quorum
 monitis & consiliis saluberrimis veram rectamq; discendi
 viam insistimus : Hi faces sunt, quibus lucentibus nos subluce-
 mus ; quibus præeuntibus nos subsequimur ; quibus dirigenti-
 bus nos regimur ducimurque. Hi deniq; velut fontes sunt
 limpidissimi, ex quibus tanquam rivis uberrimis, omne do-
 ctrinarum nectar, omnis scientiarum liquor in animos discen-
 tium scatet ac derivatur. Quid verò est? ô dolor & lacrymæ!
 ô squalor & luctus! Nimirum amisimus Virum incomparabi-
 lem : amisimus Virum, qualem canescentibus hisce annis vix
 ipsa rerum Natura nobis restituere potest : *Virum Nobilem,*
Amplissimum, Consultissimum atq; Clarissimum Dn. D. OSWAL-
DUM HILLIGERUM Jctum Celeberrimum : Numen Mu-
 farum : Lumen literarum : Apicem virtutum, & quasi Incly-
 tæ Salanæ quoddam oraculum. Amisimus Virum summum
 in docendo : acutissimum in iudicando : solertissimum in dis-
 putando : sagacissimum in scrutando, ac in omnibus prom-
 ptissimum. O præcipitis fati necessitatem! ô vota incerta &
 fallacia! ô lubrica & inconstantia vitæ humanæ curricula!
 Meritò inopinatum magni Viri obitum luget Resp. literaria:
 meritò mœret universum hoc Athenæum; meritò boni om-
 nes queruntur & lamentantur; meritò omnium oculi lacry-
 mis madent stillantque. Verùm paulisper mœroris induciæ
 sint, & luctus minuatur, ut animum recolligam, ac merita
 laudesq; tanti Viri mœsto ore stiloq; vobis ab oblivione & inte-
 ritu vindicare possim. Quo autem fato? Quave sortis injuria,
 ego hanc duram atq; arduam suscepi provinciam? Cujus suasu
 & impulsu ego periculosum hoc munus sustinere cogor? Sa-
 nè si ingenii ac infantiae meæ ruditatem cogito, vox faucibus
 hæret, animumq; pudor occupat : cum splendidissimum hunc
 locum, in quo conspicior, considero: cathedram quam impleo:
 vestigium quod premo : totus trepido tremo horreoque. Qui
nulla

EXEQUIALIS.

nulla penitus dicendi copia, aut facultate instructus: nullam facundiam aut usum quotidiano exercitatus, ausus sum in Augustissimo hoc confesso tanto Viro parentare ac iusta celebrare: cuius tamen ne laudes quidem cogitando assequi, multo minus dicendo verbis æquare valeo. Nempè tantò majus & difficilius onus mihi nunc impositum animadverto; quantò major & sublimior is est, quem sempiternæ gloriæ & immortalitati commendare non sum veritus. At quoniam Fortunæ quasi beneficio sanctum hoc officium mihi destinatum: itaque recusare omninò impium ac nefas duxi. Etenim summa pietas & singularis quam piis adhuc quoque manibus debeo, me adduxit observantia: sancta fides & animi constantis præcepit perseverantia: magna beneficiorum obligavit multitudo, ac denique eorum, quorum detrectare imperium non possum, coegit autoritas. Facit præterea ipsius rei difficultas atque dignitas, quæ levamento: singularis Encomii augusta amplitudo, quæ solatio. Quare à bonis omnibus me facile veniam impetraturum confido, quod munus hoc obire potius, quam refugere maluerim: quod animi grati affectum potius testatum facere annisus sim, quam eundem silentio comprimere & committere, ut beneficio aut indignus censerer; aut in gloriosos, quod absit, manes, ingratus injuriusve viderer. Unde verò in hoc uberrimo copiosissimoque laudandi argumento præconium Magni Celeberrimiq; hujus Jcti potissimùm ordiar, qui ad æthera usque notus: qui supra humanæ sortis fastigium evehctus, omni laude major, omniq; elogio superior. Quid in primis dicam? quo tanti nominis celebritatem, augere: tantæ famæ & gloriæ splendorem nitidiorum augustioremq; efficere coner: aut ubi denique desinam ut pro dignitate tanti Viri, aut pro rei amplitudine satis dixisse videar?

Primò omnium ad te DEUS æterne, antequam ulterius provehor, me convertito: Tu rerum omnium Genitor ipse non Genite, principio antiquior, sine diuturnior: Tu Sapientiæ tuæ & intelligentiæ radios ab alto infunde, ac mentem meam illumina, ut pectus singultibus obsitum ea possit proloqui,

quæ:

O R A T I O

quæ ad divini Nominis tui gloriam, ad honorem memoriam-
que amantissimi nostri Præceptoris, & emolumentum singu-
lorum faciant atq; conducant. A vobis autem Mag. Dn. Rect.
atq; cæteris illustris hujus Salanæ Proceribus præminentissi-
mis, & reliquis Auditoribus lectissimis faventissimisq; eâ quâ
par est ac decet, omni animi subjectione, submissione debitaq;
observantia contendo, ut me pro ingenii tenuitate jejune &
exiliter dicentem, Vestræ clementiæ, benignitatis atq; bene-
volentię favore atq; silentio prosequi, ac sublevare haut de-
dignemini. Ac ut inde potissimum primordium capiam, un-
de & noster in Christo defunctus originem suam traxit, à pa-

Patria. tria nimirum Friberga; Civitate Ditionis Misnicæ vetustissi-
ma: pietatis, virtutum, ac Orthodoxę religionis veluti officina:
Politix forma perfectissima, ædificiorum superbè constru-
ctorum elegantissima, opum ac divitiarum copia abundan-
tissima, ac ultrinarum fodinarumq; metallariarum ubertate,
fœcundissima. Ex hac urbe antiquorum monumentorum,

Tempus multitudo clarissima, *Praclariss. noster Hillig.* elapsis nunc an-
nativita- nis triginta sex atq; uno trimestri maxima cum Parentum ex-
ris. ultatione ac tripudio, in hoc vastissimum mundi theatrum,

Parentes prognatus est. Ortus est autem *ex familia Hilligerorum Patri-*
& Fami- *ciâ, & stirpe Schönlebiorum* amplissima: utraque antiquitatis
lia. gloria & nominis famæq; claritate celeberrima. Ecquis enim
Sebastianus Hilligerus Nostri propatruus? Nonné Jctus exi-
mius, ac quondam Serenissimi Pontentissimiq; Principis Dn.
Augusti Imp. Rom. Electoris &c. sanctissimæ recordationis
Consiliarius Spectatissimus? Nec non supremi judicii Provin-
cialis, quod est Lipsiæ, Assessor meritissimus? Ecquis *Wolffgan-*
gus olim Hilligerus Nostri avus? nonné huic ob præclara meri-
ta & res egregiè laudabiliterq; gestas, tandem amplissima con-
sulatus dignitas fuit demandata? ac ob singularem pietatem,
fidem ac in rebus agendis miram dexteritatem ab Illustrissi-
mis Principp. Ducibus Saxonix Dn. Mauritio & Augusto,
quorum memoria sit in sempiterna benedictione, Rom. Imp.
Septemviris &c. omni clementiæ favore & gratia fuit digna-

tus?

EXEQUIALIS.

tus? Quis *Oswaldus Hilligerus*, à quo noster fuit procreatus? Nonné & hic ob spectatam fidem, vitæ morumq; integritatem in ordinem Senatorum primum cooptatus, ac tandem ob singularem prudentiam, mirabilem rerum gestarum experientiam, omnium unanimi consensu, in unum conspirantibus suffragiis, ingentiq; cum Reipubl. incremento summum Præturæ officium administravit laudatissimè. Quis deniq; Magnificus & Amplifs. Sigism. Rœlingius in *Hirschfelde & Wildberg* Nostri amirinus? Sanè & hic Jctus præcellentissimus, ac ob insignes ingenii judiciiq; dotes magna spe & fiducia Illustrissimorum Principum Dn. Christiani Primi sempiternæ memoriæ, nec non Dn. Johannis Georgii Augusti. Electoris ac Dn. nostri Clementissimi Moderator extitit, morumq; formator, dum pueri erant, exquisitissimus? Unde etiam progressu temporis Potentissimi Electoris Dn. Christiani Secundi, &c. Consiliarius fidissimus, ac celeberrimi Appellationum judicii, quod *Dresdæ* est, Assessor delectus longè meritissimus. Sed quid ego ista copiosius? Equidem si Majorum omnium memoriam & res ab his præclare, sapienter & feliciter confectas longa serie recensere mallet, dies citius, atq; verborum prius quàm rerum deficeret copia. Et quid? satis ampla & copiosa ad dicendum seges efflorescit, si quod mihi propositum est, *Amplissimum nostrum Hilligerum*, beatè defunctum, spectavero, ac in hoc solo laudando periculum fecero. Qui *Pueritia.* ut primis statim ab annis, à Charissimis Parentibus, pietati literis & omni virtutum generi fuit consecratus: ita succrescente ætate ipse sua spontè porrexit magnoq; animo properavit, nec ætatis suæ florem otio aut torpore marcescere passus est. Parentes sancto quodam obsequio semper coluit: Præceptores tanquam secundos parentes semper amavit, observavit. In ratione studiorum ineunda, ardorem magnæ indolis industria aluit, flagrantemq; discendi cupiditatem innatus Genius & divina quædam animi natura semper ursit. Sic in puero statim animus ac amor honesti, pudor ac modesta verecundia, quæ prima juventutis laus est, sese prodiderunt. Ut ceu à matutina cœli facie reliquum diem conjicimus: ita à puerili hac

ORATIO

verecundia & industria, & à primo ætatis flore reliquam vitam
 æstimare licuit. His virtutum ornamentis porrò sese junxe-
 runt amabilis morum simplicitas, & animi candidi ingenui-
 tas; ita ut bonus natus, bonus creverit, bonus adoleverit.
 Quemadmodū v. ætas in ipso vitæ primordio, non statim per-
 fecta & omnib. numeris absoluta est: sic quoq; ingenii quosdā
 velut gradus melior natura fecit, viresq; virtuti ac doctrinæ
 paulatim subministravit. Quare substratis in Schola Patria
 solidis veræ pietatis & linguæ Latinæ, cui etiam Græcam ad-
 junxit, artesq; liberales, fundamentis; optimo consilio annum
 agens decimum & quartum à Parentibus amantissimis ad Ce-
 leberrimam Universitatem Lipsiam, ceu quoddam uberius
 doctrinæ capessendæ Emporium, ablegatur. O rarum & mi-
 randum exemplum! ô felix ac præclara indoles! quæ à surgen-
 tis pueritiæ viriditate, ad altiora artium firmamenta adspirare
 ac ad sublimiores disciplinarum fontes festinare potuit com-
 modissimè. Ita verò commemorans in laudatissimo Lipsiensium
 Athenæo, ubi studia Philosophica, [quæ in patrio solo haurire
 cœperat, & sine quibus aridas & siccas reliquas putabat scienti-
 as] assiduo studio & cura incredibilem continuavit ac perpoli-
 vit. Scilicet eum demum perfectè doctum judicabat, qui non
 unam saltem calleret artem, sed qui aliis quoq; amœnioribus
 doctrinarum præfidiis stipatus, animum exornaret. Ex hoc
 porrò Lipsiensium inelyto Lycæo unius exacto anni spatio, fa-
 mosissimam abiit Wittebergam, atq; ibi per integrum ferè
 quadriennium subsistens non tantū Sophiæ Musarumq; vire-
 ta penitus perlustravit, sed etiam vastissimum Juris Oceanum
 magna ingenii felicitate magnoq; conatu ingressus est: in quo
 transnatando adeò pertinaciter desuadere cœpit, ut q. diurno
 labore expleri discendi cupiditas nō posset, noctes violatis so-
 mni induciis, assumeret. Ita ardor ille bonæ mentis ultra
 concubium produxit lucubrationes, antè diluculum resumfit,
 ac omne perire tempus firmiter credidit, quod literis non im-
 pendatur. O ardorem studiorum incredibilem! ô desiderium
 admirabile! ô cupiditatem insatiabilem. Quia verò perma-
 gni interest, ac omne ferè momentum in eo positum, ut in
studio

EXEQVIALIS.

studio juris feliciter pertexendo rectum cursum teneamus, ne hinc inde vagando à vero fine ac tramite aberremus. Igitur rectissimè *Amplissimus noster Hilligerus*, non naturali ingenii bonitate confusus: non iudicii acrimoniâ suffultus: non memoriæ felicitate fretus, formatores quoq; suos adhibuit. Nempe agrorum Naturam imitatus est, qui licet insita quâdam fecunditate boni sunt & feraces, cultores tamen suos requirunt; nec non corpus etiamsi per se formosum, ornamenta tamen admittit: Ita quoque *noster Hilligerus*, licet ingenio optimus fuerit: tamen in latissimo Juris pelago commodè cauteque trajiciendo Nauclo peritissimo usus fuit, nimirum *Viro Amplissimo ac Consultissimo Dn. Valentino Guilielmo Forstero Jcto Excellentissimo, & in florentissimo Wittebergensi Lyceo nunc Antecessore dignissimo*, cujus consilio auxilioq; velut sacrâ anchorâ nixus, assiduo labore, curâ, cogitatione, vigiliisq; immensis, strenuè portum appellere pertentavit. Non verò ab hujus unius ore perpetuò pendendum, nec unum aliquod solùm ætatem premendum egregiè putavit: quin apum more, quæ ab uno flore mel suum nec sugunt, nec confingunt, eruditionem hinc inde hauriendam verè arbitratus est. Quapropter in decurrendo juris stadio tandem ad hanc Salanam approperavit, ubi pariter operâ & adjumento Amplissimorum Jctorum subnixus, totum Jurisprudentiæ orbem, tutò ac feliciter circuevit ac perlustravit. Unde itinere hoc immenso ita emenso, non difficillimas modò, sed abstruèctissimas etiam juris materias publicè privatimq; & legendo & disputando explicavit acutissimè: obscurissimos juris textus enodavit apertissimè: Leges mirum in modum pugnantes conciliavit doctissimè, nec non omnibus se promptissimum exhibuit solertissimumque, adeò ut oculos & admirationem singulorum in sese concitaret. Quia verò justum est laudabile & honestum, bonos meritosq; præmiis augere, ijsq; laudem tribuere & honorem: cui quæso post Deum immortalem magis Encomium debetur? Cui magis honor & præmia exolvuntur? cui dignior merces dependitur? quàm *nostro Hilligero*, cui probata prius singulari eruditione & scientia exactissima, ad petitionem.



O R A T I O

Insignia Doctoralia. laudabilem, modestam, honestamq; à Nobilissimo ꝛ Crorum Ordine, publica inauguratione summa Doctrinæ infulæ & insignia concessa fuerunt meritissimè. Impetratis itaq; Doctoralibus insigniis ab illo tempore à foro atq; Reip. procuratio-
Munia Acadomica. ne non inertia sed studio semper abstinuit: Eruditione sua ac doctrina juris cultoribus magis infervire allaborans. Ac quoniam eâ quâ cœperat dexteritate intrepidè pergebat, eandem-
 que Illustrissimis ac Potentissimis Principibus Ducibus Saxoniæ &c. Dominis Patronis ac Sustentatoribus Inclytæ hujus Universitatis Clementissimis, indies magis magisq; probaret, factum est, ut non tantum ad publicæ Professionis dignitatem, sed etiam præclaram Senatus Tribunalis adfessuram promoveretur dignissimè. O quanto non tam Saxoniarum Provinciarum, sed etiam aliarum Exoticarum cum fructu & emolumento! ô quanto cum rei literariæ incremento, bonorumq; omnium prono assensu ac desiderio. Hæc autem munia delata, quâ laude, quâ fide & diligentia, quâ consiliorum, felicitate, sententiarum æquitate præclarè expleverit: proh Deum hominumq; fidem! Omnes, omnes, inquam, quicumq; hominem noverunt; quicumq; publicè privatimq; diligentissimè profitentem audiverunt, quicumq; conversatione ipsius jucundissima usi sunt, etiam inviti deprædicabunt. Ipsum quoque hoc Athenæum mœrore quasi obsitum affatim attestatur.

Conjugiū. Cæterum justo nunc ordine nonnulla & de matrimonii festivitate attingo; quam interjecto ab hinc quinquennii spatium cum virgine quâ pietatis & pudicitia, quâ honestatis & pulcritudinis laude eximia, Margareta Viri Prudentissimi Præstantissimiq; Dn. Nicolai Hornii Senioris, civis & Senatoris Fribergensis dignissimi, Filia dilectissima, feliciter celebravit. Quæ certè corporum animorumq; individua conjunctio, uti felicissima pacatissimaque: ita mutua amoris; officiorum virtutumq; conjugaliū vicissitudine indies firmior reddita auctiorque. Hinc Deo Trino & Uni quoq; honestum hoc connubium complacitum, non sterile fuit, [quo sanè Parentibus nil gravius accidere potest] sed fertile atq;
 fœ-

EXEQUIALIS.

secundum. Duos enim filios unamq; filiam benedictione Dei Opt. Max. progenerarunt. Atq; ex illis alter major natu Patrem suum suo ex hac vita discessu precessit, & ad æternam salutem viam stravit præmaturè. Alter verò cum sororcula charissima & matre vidua moestissima adhuc superstes. Cui licet Pater in primo hoc ætatis initio ignotus fuerit: ætate tamen profectiore, ex scriptis nunquam intermorituris haut dubiè meliùs innotescet. Tu Deus immortalis, afflictissimam Viduam liberosque patre suo orbatos, solamiae ac divino tuo auxilio ne desere: Tu constantem in luctu ac squalore patientiam largire clementer: fac ut liberè rectèq; beneq; educentur: fac ut superstes filiulus paternis insistens vestigiis adultior factus, scripta egregiè cœpta, feliciter continuet absolvatque. Hæc de Patriæ, Familiæq; vitæ, aliisq; ornamentis dixisse pro tenuitate ac instituti ratione sufficiant: Jam necessarium esse reor, in alias quoq; laudes ac præconia Magni nostri Hilligeri paululum abire. Quantus verò me herclè Elogii campus sese aperit; quàm diffusus & omni florum varietate amœnitateq; refertissimus; Magnus sanè est: sed quantus quantus est, totum tamen in minuto & convexo quodam speculo, seu exiguo quodam orbe contemplor. Omnis enim virtutum chòrus: omnes animi dotes, omnesq; doctrinarum delitiæ, in uno hoc Magno Hilligero, tanquam in pelucido quodam speculo sese repræsentant. Nec tamen de singulis in præsentia dicere, animus est, sed ea potissimum decerpam, quæ præ cæteris & excellentiora & ad veram laudem extollendam faciunt quàm plurimum.

Non igitur de linguarum ac artium ingenuarum cultu ac præsidio dicam: quibus tamen à teneris unguiculis totus fuit addictissimus. Nihil de insigni Eloquentiæ ornamento adducam: quod tamen in tota vita, mirâ quadam delectatione amavit impensè, eoq; animum exercuit indefessè: quod tam arcto cum Jurisprudentiæ nodo junctum semper existimavit, ut sine Jurisprudentiæ adminiculis truncam ac imperfectam Oratoris laudem, & sine eloquentiæ armis, imbecillum ac enervem Jcti conatum æstimaverit. Unde quàm nervosam



ORATIO

brevitate, quàm castâ frugalitate delectatus: quàm terfo & ad-
 stricto sermonis genere usus: quàm proprio & ornato loquen-
 di idiomate adfuetus, mirandum facilius quàm imitan-
 dum. Ad Historiarum lectionem progredieris, & harum quo-
 que cognitionem desideras? Promptus fuit atq; expeditus, qui
 non leviter saltem, & sine ullo antiquitatis prægustu fontes hi-
 storiarum, sed fervore quodam, non veterum modò, sed re-
 centiorum ferè omnium Actorum, gestorum, consiliorum,
 dictorum factorumq; , ac præsertim antiquitatum Romana-
 rum amore inflammatus: quam voluptatem; quem fructum.
 Historiarum lectiones promitterent, quasi è longinquo pro-
 spiciens, assiduo studio tractavit, versavitque.

Hinc Cominæum, Thuanum, Livium, Plinium &c. per-
 lustravit: hinc Salustium ac Josephum perlegit:
 atq; hinc linguæ Latinæ, cujus erat callentissimus, hausit pu-
 ritatem, proprietatemq; depromsit. Nolo jam attingere recen-
 tiores illos Historiographos, qui varias & mirandas res nauti-
 cas, Insularum recens enatarum constitutiones: terræ noviter
 repertæ situm & habitum, ac populorum incognitorum vitam
 vix humanam; mores agrestes, gestus, vestitus, conscripserunt
 exquisitè: Quos ferè singulos singulis Mercatib. Lipsiensibus
 maximo pretio parabat, ac immenso desiderio pervolutabat.
 avidissimè. Quid? Ad Juris publici studium etiam provocas, &
 in hoc, quod ab Historiarum scientia dependet, profectus scru-
 taris? Certè perspicis ipse facilimè, si excussis antiquitatum re-
 rumq; gestarum monumentis ad uberiores hujus studii cul-
 tum parandum, seriò *nostrum Hill.* desudasse tecum perpendis.
 Tantum v. abest, ut hisce elegantissimis scientiis animum
 exfaturaverit suum, quin oculos auresq; explere cupiens, ple-
 rasq; totius Germaniæ; tum Academiæ illustres, velut Tübin-
 gensem, Argentinensem, Coloniensem, Friburgensem in Bris-
 goia, Moguntinam, Ingolstadianam, Marpurgens. Giessenam
 Basiliensem & Altorfianam &c. visitavit; tum civitates prima-
 rias peragravit. In illos Jctos præeminentissimos; quorū scri-
 pta antea insigniora operâ indefessâ perlegerat cognoveratq; ,
 jam præsens adiit, salutavit, coram vidit, compellavit, audivit,

con

E X E Q V I A L I S .

consuluit, atq; his animo ingenioq; innotuit, sese probavit, placuitque. In his autem diversas diversarum Rerumpub. constitutiones, varias ll. & instituta, varios mores ritusq;, & veterimas monumentor. antiquitates, sollicitâ curiositate inquisivit, diligentissimèq; observavit. Verum de his aliisq; innumeris singulatim velle dicere, & molestum fortè & longum nimis: ideoq; potius ad ea literarum transeo præsidia, quibus maximè excelluit. Inter alias autem disciplinas meritò Familiam ducit sacrosanctum pietatis studium, à quo ut ab ineunte ætate auspiciatus rectissimè; ita in toto vitæ curriculo, nihil prudenter, nihil feliciter cedere posse præclarè cogitavit, nisi Divino Numine Directore, & divino prius cultu piè præstito: Hinc omnes actiones & conatus; omnia studia & vitæ munia, [quæ tamen singula ad Dei præpotentis, gloriam & honorem referebat unicè] hoc solo Duce inchoavit sapienter, obiit celeriter, confecitq; feliciter. In hoc porrò sacratissimo Theologiæ studio adeò versatus erat, ut non tantum scripta Excellentissimorum Theologorum summâ cum attentione legeret quotidie, sed etiam de maximè arduis gravissimisq; controversiis differeret acutissimè.

Post hanc sapientiam cœlestem & divinam, quæ primas jure sibi vendicat: ad justi injustiq; scientiam, quam Jurisprudentiam appellamus [cui ferè totum dedicavit animum, atq; ut dicere solemus, quod ex professo tractabat] progredior. Proh Deum immortalem! Quis non profundissimâ Juris cognitionem *in nostro Hilligero* vehementer amabit? Quis non abstrusissimos reconditissimosq; Juris recessus & latebras ad stuporem usq; mirabitur? Quis non vigilias, lucubrationes, labores & difficultates ingentes in hoc studio perfectè, accuratèq; enodando summè venerabitur? Quis sanctum, Hilligeri pectus, quod ipsa sacra Themis incoluit plenissimè, etiam post fatum non gloriosum & immortale æstimabit, deprædicabit? Qui mirâ & concisâ brevitate: nervosâ explicatione; solidâ methodo: perfecto rerum, sententiarû, argumentor. rationumq; cõpendio: pertinacissima industria, & meditatione intentissimâ, purû verumq; resectis verbor. putaminib. nucleû ex

Am-

O R A T I O

Scripta. Amplissimis Amplissimi quondam Hugonis Donelli JCTi præcellentissimi, & de Juris scientia meritissimi, Commentariis præ ceteris universum Jus civile perfectissimè continentibus, acutissimè eruit, extraxit, exhibuitque. Qui ipsam medullam ac succum accurata dispositione; & exacta legum tum interpretatione, tum conciliatione solidissimâ expressit penitissimè. Ut meritò nostri temporis insignis quidam JCTus de elaboratissimo hoc opere laudabiliter dixerit: Quod insigni laudabiliq; conatu Dn. Oswaldi Hilligeri &c. Hugonis Donelli JCTi gravissimi Commentarii, in compendium quoddam, sint contracti, & ex aliis ipsius operibus consummati, variisq; additionibus & omni scriptorum genere maximo labore, summo cum Jurisprudentiæ bono ad unguem quasi perfecti. Ac licet opus hoc utilissimum ab initio in Musæo Larisq; silentio privati saltem emolumentis causa natum, nec divulgandi animo, fortè luce publicâ indignum putans, elucubrare cœperit; tamen meliore sententia, commodo publico consulens, libratis expensisq; utrinq; rationibus, nec non consilio ac desiderio Virorum Amplissimorum Dn. Johannis Suevii, nec non Dn. Petri Theodorici JCTorum præcellentissimorum, Fautorum ac Promotorum meorum omni reverentiæ cultu observantissimorum, obsecuturus, tandem in conspectum & lucem clarissimam prodidit. Ne verò [Consultissimus noster Hilligerus] à solo ductu & nutu præfati laudatissimi Donelli dependeret, atq; in hujus solummodò Commentariis elaborandis unicè desudaret: magno ac fidenti animo, conatu imperterritis, industriâq; desinenti quingentis & viginti duobus excellentioribus Juris Interpretibus conjunctis, quos diu ac inter noctu assiduè legendo, scrutando, discurrendo, optimaq; decerpando adeò pervolutavit, ut ex his, quicquid notatu dignum: quicquid scitu utile ac necessarium exquisitissimè collegerit, & in hoc sui Eucleati Donelli ceu quoddam pelagus transfuderit atq; univerit. Ut ceu in exiguo quodam globi schemate, totum terrarum orbem intueris: sic in hoc Eucleato Donello, omnem Jurisprudentiam, omnem solidam ac perfectâ Juris scientiam; infinitorum Juris Dd. sententias, ratio

tio

EXEQUIALIS.

tionem l. conciliationes, dissensiones, remissionesq; exactissime collecta, rectissime digesta contempleris. Tam absolutum est hoc Juris compendium: tam uberrimum Jurisprudentiæ fructum representat, ut iratas omnes Musas perpetuò mihi habeam, nisi omnes qui evolverint, excusserint, nec calumniandi animo expenderint, volentes libentesq; pedibus in meam concedant sententiam. Præterea adeò prædictorum Dd. volumina perscrutatus est, ut, si nihil ex his, quod ad rem litemq; terminandam inveniret, ipse omnibus ingenii judiciiq; oculis excubis, suoque Marte ea adjecit eruditissime, quæ ad vacivas aures implendas & ad saturandum animum famelicum pondus afferrent gravissimum. Hinc plurima primus adinvenit excogitavitq; ingeniosissime: plurima non novitatis aliquo desiderio, sed veritatis necessitate novè statuit acutissime. Hinc plurimos Juris textus ab intolerabili corrigentium injuriâ sufficientissimis adductis rationibus, vindicavit sagacissime: plurimas l. à perversa calumniandi pravitate, cavillandiq; temeritate fartas tectasq; conservavit, propugnavitq; acerrimè. Nunquam quicquam tacito authore transcripsit: nunquam cuiquam laudem suam invidiosè detraxit. Sed per quos profecit, semper fassus est ingenuè: quorum operâ & doctrinâ adjutus semper laudavit egregiè.

Ac priorem quidem sui Donelli partem, Anno 1610. præclarè concinnatam: posteriorem verò interjecto trium annorum curriculo, feliciter emolitam, non sine singulari & Nominis sui commendatione, & cupidæ LL. Juventutis applausu emolumentoq; publicis typis publicoq; commisit judicio. Nec eum à proposito hoc longè laudatissimo vel invidia obtrectantium; vel livor calumniantium quicquam deteruere: quin rei bonitate & solidâ eruditione suffultus in apertum protulit intrepidè. Ac licet nonnulli fuerint, qui calumniæ suæ dentibus innoxios innocuosq; hosce libellos arrodere, cavillari, extenuareq; tentaverint: Infausto tamen atq; irrito conatu, oleum atq; operam omnem perdiderunt. Etenim omnes animi vires & omnes ingenii nervos in toto opere pertexendo, unicè semper intendit, ut veram Donelli men-

C

tem

O R A T I O

rem investigaret exactissimè & exprimeret apertissimè. Religiosè sibi semper cavit, ne quid negligeret aut prætermittiret: ne quid quod hinc inde sæpius à Donello repetitum, iterum inculcaret fastidiosè: ne quod à Donello vel planè ommissum, vel leviter saltem tactum imperfectum, impolitum, aut ad minimum ad sedem suam non revocatum relinqueret desidiosè. Studiosè insuper ubiq; advertit, ne rem per se luculentam supervacuis illustraret exemplis: ne quem textum vel authorem falsò allegaret, quos non ipse prius sedulò inspexerit, perquisiverit & perpenderit acutissimè. Ne tamen exiguum fortè aut vile opus hoc operosissimum censeatur: aut minus necessarium, vel etiam infrugiferum æstimetur, aut parum scripsisse Noster *Hilliger*. idèò existimetur, quod non pluribus sed duobus saltem voluminibus inæstimabilem hunc laborem distinguere, nec ut alii verborum copiâ abundantissimi, immensam chartarum molem explere voluerit. Tantum enim abest, ut si orationis seriem paulisper extendere; si res singulas altiùs, scrupulosiùs & ex nativo fonte deducere maluisset vel decem pluresq; Codices concinnâset latissimos. Et quid opus est prolixâ & inani multitudine discentium animos onerare, ac perniciosè retardare? Equidem succinctis hisce suis Commentariis, tantum complexus est nervosissimè: quantum multi alii numerosa & onerosa librorum multitudine nec exhibuerunt nec præstiterunt unquam. Hi enim veluti Thesaurus quidam Universalis ferè juris scientiæ, variorumq; Dd. scriptis refertissimus. Hi ceu penus insteuctissima, omnium fermè Legum, Interpretatione abundantissimi: Hi verus ac merus nucleus, purus purusq; sanguis & succus, atq; intima omnis mellioris Juris scientiæ medulla. Quare omni jure omniq; merito [sine tamen ambitione vel alterius præjudicio] verè ac præclare de semetipso perhibuit: quod nulli Theoricorum, quoad hanc quidem Jurisprudentiæ facultatem, vel in felicitate indagandarum rationum sibi ipsi plus tribuerit: vel in inveniendæ veritatis solertia aliis priorem concesserit locum. Nec puto quenquam de certissimo hoc ipsius effato dubitare? Etenim quâ indefessâ operâ semper laboravit: quâ sagacioris ingenii

scrva-

EXEQUIALIS.

Scrutatione investigavit: quo intentioris rationis discursu in-
quisivit; quâ deniq; exactissima iudicii lima ac trutina singula
perpolivit pensitavitque.

Præterea hoc ipsum testatur satis abundè flagrantis animi
ardor, qui licet difficultate rerum sæpiùs indignatus, non ta-
men prius conquievit, nisi exquirendo lassus ac defatigatus:
Comprobat summi iudicii felicitas & acrimonia, quæ non
prius destitit, nisi rationum momentis utrinq; expensis exa-
cteque ponderatis. Confirmat indefinentis industriæ pertina-
cia, quæ non prius cessavit, nisi eruta & perspecta veritate.
Evincit maxima utilitatem publicam juvandi cupiditas, & stu-
diosæ LL. juventuti, [quò post Deum immortalem unicè respi-
ciebat] desiderium consulendi incredibile.

Huic rei magnam quoque fidem facit, quod nec blandissi-
mæ voluptatum illecebræ animum verè divinum irritârunt:
quod nec externi honoris splendor aut elati animi insolentia
inflammârunt; quod deniq; nec privati lucelli emolumentum
aut divitiarum appetentia retardârunt. Tàm admirabilis indu-
striæ pertinacia: tàm rarissima legendi indagandiq; solertia
& asduitas: tàm firmissima in recto studiorum cursu te-
nendo constantia, totum Hilligerum quantus quantus erat,
occupârunt. His maximum robur addit, quod aliis virtutum
ornamentis instructissimus erat: quæ è corpore ipsius ceu lu-
cida sidera coruscabant: ac tantò lucidiores structuras mitte-
bant: quantò ipse & doctior & sublimior & admirabilior.
Quò enim doctior erat, eò probior, humanior, ac modestior
extabat. Quò sublimior, eò benignior erat humilior ac sub-
missior. Quò admirabilior, eò minor & facilior, re, operâ &
consilio promptior expeditiorque. Ingenuitatem & candore
spirabat: conscientia puritatem fovebat: temperantia,
beneficentia ac gratitudinis studium colebat & exercebat quo-
tidie. Honestatem, justitiam & veritatem amabat ac venera-
batur maximè.

Sed quid est? Proh dolor atq; gemitus! heu dira fati ne-
cessitas! ô sæva Parcarum crudelitas! Abreptus est ille *Hillige-
rus*, & in cladem interitumq; studiorum abreptus est: Numen
Musarum sublatum: Lumen literarum extinctum: Oraculum

O R A T I O

Illustris Salanæ eversum: Miraculum divinæ juris scientiæ ere-
ptū Dux & Moderator cupidæ LL. juventutis decessit: Decus ac
præsidium omnis melioris doctrinæ ac eruditionis abiit: ve-
rum industriæ ac solertiæ concidit exemplar. Qui dexterrimè
Dei beneficio atq; concessu in hoc ruentis ævi seculo juris sci-
entiam excolere: qui languidam & labescentem restaurare:
excultam elaboratamq; nobiscum participare & ad posteros
transmittere poterat: obiit, ac vitam fato reddidit. Qui,
quicquid intentiore rationis meditatione rimatus erat, im-
pertiebatur liberrimè, ac unius horulæ spatio inculcasset fi-
dissimè, mortalitatis hujus fragmina sponte lubensq; deposuit.
Qui tanto scientiarum ardore æstuavit, ut etiam cum cibum
caperet, semper alterâ manu librum teneret, legeret ac scruta-
retur assiduè, vivere desiit. Qui toto ægrotationis tempore
sedulò officii munia subibat, lucem hanc deseruit. Cujus au-
spicio & ductu maturiùs feliciùsq; ad solidam juris cognitio-
nem perducì: & interiores ejusdem meatus atq; angulos pene-
trare: cujus operâ ac beneficio textus difficiliore & ll. pugnan-
tias faciliùs intelligere: ex cujus operibus perfectissimis Nos
uberrimum, totâ posteritas sempiternum fructum percipere
potuisset, ad æternum beatarum mentium commigravit con-
siliium.

Verùm quas gratias immortales? Quid tantis beneficiis
par aut æquale referemus? Quam mercedem, aut quod im-
mensorum laborum Minervale dependemus? quibus indiciis
pii animi gratitudinem, ac sinceri affectus promptitudinem
declarabimus? Quibus verborum querimoniis, amorem ac
desiderium ejus exprimemus? Qui alia quoq; præclara scri-
ptorum monumenta apprime necessaria, posteritati promi-
serat eaq; prudentiori consilio, meliori maturiori q; ætati se-
posuerat. Quibus lacrymis deplorabimus eum, qui semper
diurnare ac æternus esse debebat? Quibus gemitibus prosequemur,
quem semper nasci, nunquam denasci oportebat? Qui-
bus suspiriis condecorabimus, quem fas erat immortalem
produxisse Naturam? Quibus deniq; singultibus ejulabimus,
quem nec pretio emere, nec precibus redimere possumus?
Quem

EXEQVIALIS.

Quem nunc demum postquam habuimus verè noscimus. Et quis quæso adeò prædurus & Adamantinus, qui decus hoc immortale luctu & squalore non prosequatur? Ecquis adeò ferreus ac omni profus humanitate exutus, qui Magnum hunc Ictum non doleret? Quis adeò ferus, immanis ac beluinus, qui ferè insanabile vulnus toti Academiæ inflictum non mœreret lugeretq; vehementer. Sanè ipsum hoc quod videmus Collegium, præsidio ac ornamento insigni spoliatum quasi doloris particeps silentio ingemiscere videtur. Sed quid nimium luctui indulgemus ac lacrymis oculos vultûsq; rigemus? Cur dolorem mœroremq; magis magisq; exulceramus? Aliò orationis vela dirigenda, & hûc potissimum flectenda, ut superesse videatur qui extinctus, ac inter homines vivus perennare censeatur qui denatus. Vivit igitur & in scriptis vivit, cui Natura vivere negavit: ac qui corpore longævus esse non potuit, animo saltem ingenioq; æternus erit: cui præsentia sua inter mortales divinare non licuit, ejus tamen nominis memoria, gloria & virtutes vitales erunt omniq; ævo diuturniores. Hanc gratiam literæ referent, hunc honorem tribuent, ita famam tanti Viri promovebunt, nec unquam interire concedent: sed ad posteritatem infinitam transmitti curabunt. Vivit igitur ac pro claris corporis sui exuviis egregia ingenii doctrinæq; monumenta posthumia reliquit: quiq; celebri corporis imagine in urna reconditus, exempli sui æternâ æmulatione posteris sese præsentabit.

Absit igitur dolor & luctus: absint lacrymæ & querimonia. Vitam non amisit, sed in æternam felicitatem transmavit: vitæ finem non fecit, sed laborum molestiis sese liberavit. Inter beatos æterna beatitudine perfruitur. In cœlo ubi translatus est, vivere cœpit, & ceu sidus clarissimum radiis suis in hanc animarum captivitatem resplendet. Isthic est, ubi supra omnes humanas misérias positus, ubi gaudio fruitur, quod meruit, felicitate quam impetravit, ubi lætatur & exultat sine fine, ubi sine nube ac tenebris æternùm splendebit atq; clarescet. Ac licet si annorum numerum pensites, maturè ac in meliore ætatis vigore constitutus ex hac vita discesserit: non ta-

ORATIO

men quàm diu, sed quàm benè vixerit, refert. Non quàm citò extinctus, sed quàm feliciter ac maturè vitæ cursum expleverit, permagni interest. Nec certè senectus ex annorum multitudinè æstimanda, sed à virtutis ac doctrinæ gloria. Sicut enim in eo, qui stadium decurrit, non quàm diu, sed quàm celerrimè currat, ut vincat, spectamus: sic in vitæ hujus curriculo non quàm diu, sed quàm benè & gloriosè cursum vitæ quis absolverit, attendimus. Itaq; non anni, sed animi ætatem omnemq; senectam temporis limitibus concludunt. Diu igitur longumq; *noster Hilligerus* vixisse æstimandus, qui virtutem doctrinæq; laudem sibi paravit æternam: diu multumq; diurnasse æstimandus, qui ingenii judiciiq; monumenta reliquit sempiterna; ac perpetuò superesse censendus, qui gloriam ac nominis celebritatem sibi acquisivit immortalem.

Hæc jam mea fuit erga piè defunctum *Amplissimum Hilligerum Præceptorem quondam nostrum amantissimum*, grata pietas, & debitum debitæ promptitudinis ac observantiæ officium: qui postquam aliam gratiam referre non potui, sinceri saltem & pii affectus specimen etiam in morte decoranda omninò exhibere volui debuique. Ac ne post funera fortè ingratus, aut iniquus viderer, munus hoc periculosum periculosè subire malui, quàm impudenter ac immodestè recusare.

Ad Te igitur Deus omnipotens & misericors revertor, ac uti in divino nomine tuo, Oratiunculam hancce sum exorsus ita piè quoq; finio. Te itaque rerum omnium Creatorem ac Conservatorem ardentissimis animi gemitibus ac devotissimis precibus supplices toto pectore precamur, nobis quæso, qui in hujus vitæ tempestatibus adversis jaetamur, sævisq; procellis objicimur, donec & ipsi ad æternæ salutis portum appellamus, puram & orthodoxam religionem conserva: studia veræ sapientiæ ac prudentiæ tuere: corda nostra, cogitationes omnesque actiones sacro tuo Flamine dirige, omnemq; vitæ cursum clementer guberna.

Ac inprimis Illustrissimos ac Celsissimos Principes ac Duces Saxonix, Julix, Clivix ac Montium, Inclytę hujus Universitatis

EXEQUIALIS.

nitatis Nutritores ac Sustentatores, Dominos nostros Clementissimos salvos, felices ac incolumes protege diutissimè, gubernationem felicissimam, felicissimumq; consiliorum, rerumq; agendarum successum concede benignissimè: præsentibus duobus Illustrissimis Principibus Sax. & c. Dn. Friderico Wilhelmo, nec non Dn. Bernhârdo, Dominis nostris Clementissimis pro tempore in Almâ hac Academia laudatissimè versantibus, hanc mentem divinitùs largire, ut celsissimas animorum dotes, ac cónatus præ eminentissimos eò unicè conferant, ut proavitam pietatem ac glóriam strenuè æmulari, virtutesq; Heroicas Potentissimorum Majorum non æquare tantùm, sed longè etiam superare conentur. Deniq; animos quoq; Serenissimorum Principum Dn. Nostr. Clementiss. ita flecte regeq; clementissimè, ut rei ipsius necessitate perpensâ talem quempiam, in Christo defuncto Consultissimo *Hilligero* successorem designent constituentq;e, cujus consilia, studia & operæ ad glóriam sanctissimi nominis divini, ad rei literariæ malè afflictæ incolumitatem, & ad studiosæ juventutis incrementum cedant vergantq;e. Ut ita luctus mœrorq; tanti Viri leniatur, vulnus collisæ Academiæ crudum adhuc coeat ac refarciatur, adeoq; ut honor & gloria præ eminentissimi hujus Athenæi perseveret; vigen ac floridum Jurisprudentiæ studium excolatur, & ad seram posteritatem propagetur, ac ut ipsa deniq; laudatè præfata Universitas perpetuò feliciter vivat, vigeat floreatq;e.

Quod reliquum est [Auditores] vobis quas gratias referam sempiternas? aut quid pro immensâ hâc clementiâ & beneficio summo rependam? Quod non tantùm sepositis aliis gravioribus ac magis arduis negotiis, pium hunc & ultimum honorem Amplissimo Dn. *Hilligero* exhibere, eundemque Vestro Clementiæ, benignitatis ac benevolentiæ favore, etiam post mortem complecti voluistis; sed etiam quod augustissima Vestra præsentia Auditorium hoc illustrius augustiusque reddere, meq; de tanti Viri laude & præconio balbutientem clementissimè ac benignissimè audire haut fuistis dedignati: pro hac immensa clementia, benignitate & benevo-

*Gratis-
rum actio*

lent-

ORATIO EXEQUIALIS.

lencia gratias, quas debeo ac mente concipere, linguaq; proferre possum, ago habeoq; maximas, atq; immortales, ac vicissim perpetuam animi subjectionem submissionem, pietatem ac promptitudinem defero, nec non memoriam grati adfectus sempiternam, omnemq; debitæ reverentiæ cultum ætatem spondeo atq; polliceor. Vobis verò Nobiliss. Præstantissimi, Literatissimi Dn. Commilitones, gratias quoq; ago singulares, quod non tantum & ipsi extremum hoc pietatis ac gratitudinis officium Nostro *Hiliger* præstare, sincerum affectum testatum facere, ac per hoc flagrantis animi desiderium declarare voluistis; sed etiã quod splendidissimum hocce Auditorium, Vestra honorifica præsentia cohonestare, mihiq; benevolas aures præbere, haut intermisistis, pro hoc sanè præclarè præstito officio gratias inquam Vobis ago planè singulares: Ac vicissim universis & singulis omnia humanitatis studia, ac quæcunq; à me proficisci poterunt officiorum genera defero promptissima, paratissimaque.

Dixi,

F I N I S.



Q.N. 248. 17

ORATIO FUNEBRIS
In honorem ac memoriam

*Viri Nobilis, Amplissimi, Confessoris
Clarissimi*

DN. OSWALDI
HILLIGERI, J. S. P. S.
LEBERRIMI, UNIVERSITATIS
LANÆ ANTECESSORIS ET DIGNITATIS
DEM ADSESSORIS MERITO

*Publicè in Amplissimo & frequentissimo
confessu habita*

M. JOHANNES JACOBO
LIPSIENSE.



J E N Æ
Typis TOBIÆ STEIN
Anno, M, DC,

